

Porrigit *Ermoldus* exul, egenus, inops.
 Munere quippe carens, fero carmina pauca
 potenti,
 Divitiis liber offero namque melos.
 Regia corda manu Christus qui stringit & ornat,
 Vertit & in partes quas sibi cumque placet.
 Qui tua præcipuè virtutum flore replevit,
 Atque redundare de pietate dedit,
 Conferat, ut nostram propius, Rex inclyte,
 causam
 Respicias, aurem accomodando piè.
 Veridicis poteris forsan cognoscere verbis
 Criminis objecti me minus esse reum.
 Non tamen excuso me illius, crede reatus,
 Infelix (83) quo sum trusus in exilium.
 Sed pietas immensa, reis quæ debita laxat,
 Deprecor ut nostri sit memor exilii.
 Tu quoque digna sibi conjux, pulcherrima
Juditib,
 Quæ secum Imperii culmina jure tenes,
 Confer opem lapsò, allisum solare misellum,
 Erige labentem, carcere solve reum.

(83) Desideratur in MSto: illud adjecit Lambecius.

A Ut vos Altitonans per plurima tempora feci
 Sublimet, salvet, ditet, honoret, amet.
 Postquam hoc Poëma legerint eruditi, udi-
 cent quæso, num jure, an injuriâ P. Jacobus
 le Long *Ermoldum* nostrum sibi numquam vi-
 sum in classem fabulorum *Historiæ Francicæ*
 Scriptorum retulerit, quam accuratissimo Cata-
 logo suo haud pridem edito adtexuit pag. 1099.
 Si enim valet ea ratio, quòd is *Vitam Ludovici*
 oratione metro adstricta scripserit; quæ ta-
 men minimè valet propter *Aristotelis* auctori-
 tatem, qui in *Libro de Arte Poëtica* docet, *Hi-*
storicum & Poëtam, non quòd alter numeris
 adstricta, alter soluta scribat, inter se differre;
 cum non minus *Historia* esse possit cum nume-
 ris, quàm smè illis; Sed quod alter quæ facta
 sunt, alter qualia fieri oporteat, aut possint,
 commemorat. Sed si valet inquam: cur non &
 Poëtam Saxonem *Arnulphi* Imperatoris equa-
 lem, qui *Karoli M.* Imperatoris *Vitam* versi-
 bus illigavit, aliosque angustæ fidei, atque
 adeò fugiendis Scriptoribus annumeravit?

Pro exilium ibidem legitur exilio.

F I N I S.

